

**0366-0383- SS Damasus I - De Explanatione Fidei**

**Decretum Gelasianum  
Incipit Concilium Urbis Romae  
Sub Damaso Papa de Explanatione Fidei**

I. Dictum est:

**1.** Prius agendum est de spiritu septiformi, qui in Christo requiescit:

spiritus sapientiae: 'Christus dei virtus et dei sapientia'.  
spiritus intellectus: 'Intellectum dabo tibi et instruam te in via, in qua ingredieris'.  
spiritus consilii: 'Et vocabitur nomen eius magni consilii angelus'.  
spiritus virtutis: ut supra 'Dei virtus et dei sapientia'.  
spiritus scientiae: 'Propter eminentiam Christi scientiae Iesu apostoli'.  
spiritus veritatis: 'Ego sum via et vita et veritas'.  
spiritus timoris dei: 'Initium sapientiae timor domini'.

**2.** Multiformis autem nominem Christi dispensatio:

dominus, quia spiritus;  
verbum, quia deus;  
filius, quia unigenitus ex patre;  
homo, quia natus ex virgine;  
sacerdos, quia se obtulit holocaustum;  
pastor, quia custos;  
vermis, quia resurrexit;  
mons, quia fortis;  
via, quia rectus;  
ostium, quia per ipsum ingressus in vita est;  
agnus, quia passus est;  
lapis, quia structio angularis;  
magister, quia ostensor vitae;  
sol, quia inluminator;  
verus, quia a patre;  
vita, quia creator;  
panis, quia caro;  
Samaritanus, quia custos et misericors;  
Christus, quia unctus;  
Iesus, quia salvator;  
deus, quia ex deo;  
angelus, quia missus;  
sponsus, quia mediator;  
vitis, quia sanguine ipsius redempti sumus;  
leo, quia rex;  
petra, quia firmamentum;  
flos, quia electus;  
propheta, quia futura revelavit.

**3.** Spiritus enim sanctus non est patris tantummodo aut filii tantummodo spiritus, sed patris et filii spiritus; scriptum est enim: 'Si quis dilexerit mundum, non est spiritus patris in illo'; item scriptum est; 'Quisquis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius'. nominato ita patre et filio intelligitur spiritus sanctus, de quo ipse filius in evangelio dicit quia spiritus sanctus 'a patre procedit' et 'de meo accipet et adnuntiabit vobis'.

II. Item dictum est:

Nunc vero de scripturis divinis agendum est, quid universalis catholica recipiat ecclesia vel quid vitare debeat.

**1 INCIPIT ORDO VETERIS TESTAMENTI:**

Genesis	liber unus
Exodus	liber unus
Leviticus	liber unus
Numeri	liber unus
Deuteronomium	liber unus
Iesu Nave	liber unus
Iudicum	liber unus
Ruth	liber unus
Regum	libri quattuor
Paralypomenon	libri duo
Psalmorum CL	liber unus
Salomonis libri tres	
proverbia	liber unus
ecclesiastes	liber unus
cantica canticorum	liber unus
Item sapientiae	liber unus
ecclesiasticum	liber unus

**2. ITEM ORDO PROPHETARUM:**

Esaiae	liber unus
Hieremiae	liber unus
cum Cinoth id est lamentationibus suis	
Ezechielis	liber unus
Danihelis	liber unus
Oseae	liber unus
Amos	liber unus
Micheae	liber unus
Iohel	liber unus

Abdiae	liber unus
Ionae	liber unus
Naum	liber unus
Abbacuc	liber unus
Sophoniae	liber unus
Aggei	liber unus
Zachariae	liber unus
Malachiae	liber unus

**3. ITEM ORDO HISTORIARUM:**

Iob	liber unus
Tobiae	liber unus
Hesdrae	libri duo
Hester	liber unus
Iudith	liber unus
Machabeorum	libri duo

**4. ITEM ORDO SCRIPTURARUM NOVI TESTAMENTI quem sancta et catholica Romana suscipit et veneratur ecclesia:**

Evangeliorum libri quattuor	
secundum Matheum	liber unus
secundum Marcum	liber unus
secundum Lucam	liber unus
secundum Iohannem	liber unus
Item actuum apostolorum	liber unus
Epistulae Pauli apostoli numero quattuordecim	
ad Romanos	epistula una
ad Corinthios	epistula una
ad Ephesios	epistula una
ad Thesalonicenses	epistulae duae
ad Galatas	epistula una

ad Philippenses	epistula una
ad Colosenses	epistula una
ad Timotheum	epistulae duae
ad Titum	epistula una
ad Philemonem	epistula una
ad Hebreos	epistula una
Item apocalypsis Iohannis	liber unus
Item canonicae epistulae numero septem	
Petri apostoli	epistulae duae
Iacobi apostoli	epistula una
Iohannis apostoli	epistula una
alterius Iohannis presbyteri	epistulae duae
Iudee Zelotis apostoli	epistula una

#### EXPLICIT CANON NOVI TESTAMENTI.

#### III. Item dictum est:

INCIPIT DECRETALE DE RECIPIENDIS ET NON RECIPIENDIS LIBRIS QUI SCRIPTUS EST A GELASIO PAPA SEPTUAGINTA VIRIS ERUDITISSIMIS EPISCOPIS IN SEDE APOSTOLICA URBIS ROMAE

1. Post has omnes propheticas et evangelicas atque apostolicas quas superius depromsimus scripturas, quibus ecclesia catholica per gratiam dei fundata est, etiam illud intimandum putavimus quod, quamvis universae per orbem catholicae diffusae ecclesiae unus thalamus Christi sit, sancta tamen Romana ecclesia nullis synodis constitutis ceteris ecclesiis praelata est, sed evangelica voce domini et salvatoris nostri primatum obtenuit: 'tu es Petrus' inquiens 'et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam et portae inferni non praevalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni caelorum, et quaecumque ligaveris super terram erunt ligata et in caelo et quaecumque solveris super terram erunt soluta et in caelo'.

2. Addita est etiam societas beatissimi Pauli apostoli 'vas electionis', qui non diverso, sicut heresie garriunt, sed uno tempore uno eodemque die gloiosa morte cum Petro in urbe Roma sub Caesare Nerone agonizans coronatus est; et pariter supradictam sanctam Romanam ecclesiam Christo domino consecrarunt aliisque omnibus urbibus in universo mundo sua praesentia atque venerando triumpho praetulerunt.

3. Est ergo prima Petri apostoli sedes Romana ecclesia 'non habens maculam nec rugam nec aliquid eiusmodi'.

Secunda autem sedes apud Alexandriam beati Petri nomine a Marco eius discipulo atque evangelista consecrata est, ipseque in Aegypto directus a Petro apostolo verbum veritatis praedicavit et gloriosum consummavit martyrium.

Tertia vero sedes apud Antiochiam beatissimi apostoli Petri habetur honorabilis, eo quod illic priusquam Romae venisset habitavit et illic primum nomen Christianorum novellae gentis exortum est.

IV. Et quamvis 'aliud fundamentum nullus possit ponere praeter id quod positum est, Christus Iesus', tamen ad aedificationem sancta idem Romana ecclesia post illas veteris velo novi testamenti quas regulariter superius enumeravimus etiam has suscipi non prohibet scripturas:

1. sanctam synodum Nicenam secundum trecentos decem et octo patres mediante maximo Constantino Augusto, in qua Arrius hereticus condemnatus est; sanctam synodum Constantinopolitam mediante Theodosio seniore Augusto, in qua Macedonius hereticus debitam damnationemcepit;

sanctam synodum Ephesinam, in qua Nestorius damnatus est consensu beatissimi Caelestini papae mediante Cyrillo Alexandrinae sedis antiste et Arcadio episcopo ab Italia destinato;

sanctam synodum Calcedonensem mediante Marciano Augusto et Anatolio Constantinopolitano episcopo, in qua Nestoriana et Eutychiana hereses simul cum Dioscoro eiusque complicibus damnatae sunt.

sed et si qua sunt concilia a sanctis patribus hactenus instituta post istorum quattuor auctoritatem, et custodienda et recipienda decrevimus. Iam nunc subiiciendum de opusculis sanctorum patrum, quae in ecclesia catholica recipiuntur.

Item opuscula beati Caecilii Cypriani martyris et Cathaginensis episcopi;

item opuscula beati Gregorii Nanzaneni episcopi;

item opuscula beati Basilii Cappadociae episcopi;

item opuscula beati Iohannis Constantionipolitani episcopi;

item opuscula beati Theophili Alexandrini episcopi;

item opuscula beati Cyrilli Alexandrini episcopi;

item opuscula beati Hilarii Pictaviensis episcopi;

item opuscula beati Ambrosii Mediolanensis episcopi;

item opuscula beati Augustini Hipporegiensis episcopi;

item opuscula beati Hieronimi presbyteri;

item opuscula beati Prospere viri religiosissimi;

3. item epistulam beati papae Leonis ad Flavianum Constantinopolitanum episcopem destinatam, de cuius textu quispiam si usque ad unum iota disputaverit et non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema sit;

item opuscula atque tractatus omnium patrum orthodoxorum, qui in nullo a sanctae Romanae ecclesiae consortio deviarunt, nec ab eius fide vel praedicatione seiuncti sunt sed ipsius communicatione per gratiam dei usque in ultimum diem vitae suaे fuere participes, legendos decernit;

item decretales epistulas, quas beatissimi papae diversis temporibus ab urbe Roma pro diversorum patrum consultatione dederunt, venerabiliter suscipiendas esse;

4. item gesta sanctorum martyrum, quae multiplicibus tormentorum cruciatibus et mirabilibus confessionum triumphis inradiant. quis catholicorum dubitet maiora eos in agonibus fuisse perppersos nec suis viribus sed dei gratia et adiutorio universa tolerasse? sed ideo secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in sancta Romana ecclesia non leguntur, quia et eorum qui conscripsere nomina penitus ignorantur et ab infidelibus et idiotis superflua aut minus apta quam rei ordo fuerit esses putantur; sicut cuiusdam Cyrisci et Iulittae, sicut Georgii aliorumque eiusmodi passiones quae ab hereticis perhibentur compositae. propter quod, ut dictum est, ne vel levis subsannandi oriiretur occasio, in sancta Romana ecclesia non leguntur. nos tamen cum predicta ecclesia omnes martyres et eorum gloriosos agones, qui deo magis quam hominibus noti sunt, omni devotione veneramur;

item vitas patrum Pauli Antonii Hilarionis et omnium heremitarum, quas tamen vir beatissimus descripsit Hieronimus, cum honore suscipimus;

item actus beati Silvestri apostolicae sedis praesulnis, licet eius qui conscriperit nomen ignoretur, a multis tamen in urbe Roma catholicis legi cognovimus et pro antiquo usu multae hoc imitantur ecclesiae;

item scriptura de inventione crucis et alia scriptura de inventione capitis beati Iohannis Baptistae novellae quidem relationes sunt et nonnulli eas catholici legunt; sed cum haec ad catholicorum manus advenerint, beati Pauli apostoli praecedat sententia: 'omnia probate, quod bonum est tenete'.

item Rufinus vir religiosissimus plurimos ecclesiastici operis edidit libros, nonnullas etiam scripturas interpretatus est; sed quoniām venerabilis Hieronimus eum in aliquibus de arbitrii libertate notavit, illa sentimus quae predictum beatum Hieronimum sentire cognoscimus; et non solum de Rufino, sed etiam de universis quos vir saepius memoratus zelo dei et fidei religione reprehendit.

item Origenis nonnulla opuscula, quae vir beatissimus Hieronimus non repudiatur, legenda suscipimus, reliqua autem cum auctore suo dicimus renuenda.

item chronica Eusebii Caesariensis atque eiusdem historiae ecclesiasticae libros, quamvis in primo narrationis suae libro teperit et post in laudibus atque excusatione Origenis scismatici unum conscripserit librum, propter rerum tamen singularum notitiam, quae ad instructionem pertinent, usque quaque non dicimus renuendos.

item Orosium virum eruditissimum cinguladamus, quia valde necessariam nobis adversus paganorum calumnias ordinavit historiam miraque brevitet contextuit.

item venerabilis viri Sedulii opus paschale, quod heroicis descripsit versibus, insigni laude preeferimus.

item Iuvenci nihilominus laboriosum opus non spernimus sed miramur.

V. Cetera quae ab hereticis sive scismaticis conscripta vel praedicata sunt, nullatenus recipit catholica et apostolica Romana ecclesia; e quibus pauca, quae ad memoriam venerunt et a catholicis vitanda sunt, credidimus esse subdenda:

#### ITEM NOTITIA LIBRORUM APOCRYPHORUM

in primis Ariminensem synodum a Constantio Caesare Constantini filio congregatum mediante Tauro preefecto ex tunc et nunc et in aeternum confitemur esse damnatam.

Itinerarium nomine Petri apostoli, quod appellatur sancti Clementis libri numero novem,	apocryphum
Actus nomine Andree apostoli	apocryphi
Actus nomine Thomae apostoli	apocryphi
Actus nomine Petri apostoli	apocryphi
Actus nomine Philippi apostoli	apocryphi
Evangelium nomine Mathiae	apocryphum
Evangelium nomine Barnabae	apocryphum
Evangelium nomine Iacobi minoris	apocryphum
Evangelium nomine Petri apostoli	apocryphum
Evangelium nomine Thomae quibus Manichei utuntur	apocryphum
Evangelia nomine Bartholomaei	apocrypha
Evangelia nomine Andree	apocrypha
Evangelia quae falsavit Lucianus	apocrypha
Evangelia quae falsavit Hesychius	apocrypha
Liber de infantia salvatoris	apocryphus
Liber de nativitate salvatoris et de Maria vel obstetricice	apocryphus
Liber qui appellatur Pastoris	apocryphus
Libri omnes quos fecit Leucius disciplulus diabuli	apocryphi
Liber qui appellatur Fundamentum	apocryphus
Liber qui appellatur Thesaurus	apocryphus

Liber de filiabus Adae Leptogeneseos	apocryphus
Centonem de Christo virgilianis compaginatum versibus	apocryphum
Liber qui appellatur Actus Theclae et Pauli	apocryphus
Liber qui appellatur Nepotis	apocryphus
Liber Proverbiorum ab hereticis conscriptus et sancti Sixti nomine praesignatus	apocryphus
Revelatio quae appellatur Pauli	apocrypha
Revelatio quae appellatur Thomae	apocrypha
Revelatio quae appellatur Stephani	apocrypha
Liber qui appellatur Transitus sanctae Mariae	apocryphus
Liber qui appellatur Paenitentia Adae	apocryphus
Liber de Ogia nomine gigante qui post diluvium cum dracone ab hereticis pugnasse perhibetur	apocryphus
Liber qui appellatur Testamentum Iob	apocryphus
Liber qui appellatur Paenitentia Origenis	apocryphus
Liber qui appellatur Paenitentia sancti Cypriani	apocryphus
Liber qui appellatur Paenitentia Iamne et Mambre	apocryphus
Liber qui appellatur Sortes apostolorum	apocryphus
Liber qui appellatur Lusa apostolorum	apocryphus
Liber qui appellatur Canones apostolorum	apocryphus
Liber Physiologus ab hereticis conscriptus et beati Ambrosii nomine praesignatus	apocryphus
Historia Eusebii Pamphili	apocrypha
opuscula Tertulliani	apocrypha
opuscula Lactantii sive Firmiani	apocrypha
opuscula Africani	apocrypha
opuscula Postumiani et Galli	apocrypha
opuscula Montani, Priscillae et Maximillae	apocrypha
opuscula Fausti Manichei	apocrypha
opuscula Commodiani	apocrypha
opuscula alterius Clementis Alexandrini	apocrypha

opuscula Thascii Cypriani	apocrypha
opuscula Arnobii	apocrypha
opuscula Tichonii	apocrypha
opuscula Cassiani presbyteri Galliarum	apocrypha
opuscula Victorini Petabionensis	apocrypha
opuscula Fausti Regiensis Galliarum	apocrypha
opuscula Frumentii Caeci	apocrypha
Centonem de Christo virgilianis compaginatum versibus	apocryphum
Epistula Iesu ad Abgarum	apocrypha
Epistula Abgari ad Iesum	apocrypha
Passio Cyrici et Iulittae	apocrypha
Passio Georgii	apocrypha
Scriptura quae appellatur Salomonis Interdictio	apocrypha
Phylacteria omnia quae non angelorum, ut illi configunt, sed daemonum magis nominibus conscripta sunt	apocrypha

Haec et his similia quae Simon Magus, Nicolaus, Cerinthus, Marcion, Basilides, Ebion, Paulus etiam Samosatenus, Photinus et Bonosus qui simili errore defecerunt, Montanus quoque cum suis obscenissimis sequacibus, Apollinaris, Valentinus sive Manicheus, Faustus Africanus, Sabellius, Arrius, Macedonius, Eunomius, Novatus, Sabbatius, Calistus, Donatus, Eustatius, Iovinianus, Pelagius, Julianus Eclanensis, Caelestius, Maximianus, Priscillianus ab Hispania, Nestorius Constantinopolitanus, Maximus Cynicus, Lampetius, Dioscurus, Eutyches, Petrus et alius Petrus, e quibus unus Alexandriam, alius Antiocham maculavit, Acacius Constantinopolitanus cum consortibus suis nec non et omnes heresi hereseorumque disciplui sive scismatici docuerunt vel conscripserunt, quorum nomina minime retinuimus, non solum repudiata verum ab omni Romana catholica et apostolica ecclesia eliminata atque cum suis auctoribus sequacibus sub anathematis insolubili vinculo in aeternum confitemur esse damnata.